Dissertatio Medica.

Cholerae Asiaticae brevis expositio,

cujus Part. I.

Venia Exper. Fac. Medic. Lundens.

Præside

JAC. SÖNNERBERG,

Med. Pract. Prof. Reg. et Ord.

Pro Gradu Doctoris

Publicae disquisitioni subjicit

P. C. BRÅKENHIELM,

Med. Lic. ad Cohort. Equestrum Principis Medicus.

Nobilis.

In Academia Carolina d. 21 Junii 1838.

h. a. et p. m. s.

Lundæ,

Typis excudit C. F. Berling,

nniversitatis typographus,

MDCCCXXXVIII.

Konungens

Troman, Öfverfältläkaren

Medic. Doctorn, Chirurg. och Philos. Magistern

Vidtberömde

Herr N. M. HJERTSTEDT

och

Dess Fru

Doctorinnan MARIE G. HJERTSTEDT

tillegnas denna Academiska Afhandling

med vördnad och tacksamhet

af

en tillgifven Systerson

P. C. BRÅKENHIELM.

De Huldaste Föräldrar

helgas dessa blad

af

Sonlig kärlek och tacksamhet

P. C. BRÅKENHIELM.

Licet pauca tantum Cholerae asiaticae exempla nobis obvia fuerint, tamen haud inutilem fore hujus morbi investigationem judicavimus, qui tot terrores per duo jam decennia populis injecit tantasque strages dedit, quantas unquam morbus pestiferus habuerit; nec metus abest, ut, contagio semel orto, variolarum instar, per intervalla recurrat, et perpetuum generis humani malum sit.

Ante annum 1817 extra orientem ignota fuisse videtur. Utique cum primum, loca natalia egrediens, per orbem vagari incipiebat, malignam esse cholerae europaeae epidemiam multis, nec sine ratione, persuasum fuit, plurima enim symptomata cum hac communia habet; specie vero differre non eo solum manifestum est, quod nullum anni tempus recusat, praecipue vero quod evacuationes quae sursum, deorsum fiunt, omnino

sine bile sunt, unde cholerae nomen minus quadrare quibusdam visum est; varia praeterea symptomata propria et pathognomonica habet.

Haec vero signa praecipue observantur: repentina vultus mutatio; cutis contractilitatis expers, mollis et cruda, livescens vel violacea; vomitus et diarrhoea, quibus, non ut in europaea, bilis excernitnr, sed serosus et albidus humor; tonici extremitatum spasmi; caloris animalis et turgoris fuga; pulsuum decrementum ad asphyxiam usque, cerebri functionibus persistentibus.

Neque tamen haec singula simul comparent, sed in diversis stadiis explicantur; saepe enim morbus in regionibus temperatis per unum alterumve diem trahitur, ut stadia ejus observari et discerni possint, quorum *primum prodromorum* dicitur, quod alienationem sensus organici in primis concernit: languorem et debilitatem totius corporis aegrotus queritur atque capitis gravitatem et vertigines leves, nauseam; accedunt epigastrii tensio, dolor et calor, ventris murmura, diarrhoea levis, sæpius recurrens. E lecto tamen esse potest aegrotus et suis negotiis fungi.

Alterum stadium eruptionis, ipsum insultum continet, qui prodromorum sequitur et noctu plerumque, quasi ex improviso, ingruit. Cum ardore epigastrii et summa

debilitate incipit, quæ vomitus et diarrhoea sequuntur, quibus humor serosus non foetidus, ex griseo albus, decocto oryzae haud dissimilis, striis membranaceis immixtis, sine tenesmo vel faucium nisu, cum impetu exit, quasi e siphone emissus; simul pedes et surae contrahuntur et spasmis cruciantur, mox ad brachia, manus et totum corpus propagatis, facie tantum et collo atque dorso intactis; abdomen contrahitur et concidit; frigus increscit, extremitates primum, mox totum corpus occupans et tandem marmoreum evadens; pulsus, sensim sensimque debilior, se tactui subducit; facies collapsa, rugosa, senilis, livida, labiis coerulescentibus et retractis, enthusiasmum cum summa anxietate exprimit, cholericam dicunt; oculi circulo obscure fusco cincti, in orbitam alte retracti, palpebris obtecti, vel ut in typho, semiaperti, sursum revoluti, fixi; lingua frigida, extenuata, rugosa, sed mollis et humida, muco tenui albo vel caerulescente obducta; sitis vehemens et sæpius potus frigidi desiderium, ad sedandum epigastrii ardorem; vox querula, debilis, rauca, a vasculis pulmonum sanguine spisso repletis, cholerica; respiratio brevis et anxia, frigidum halitum reddens; dysuria vel ischuria, a torpore cordis repetenda; corporis jactatio. Animus demissus, indifferens ad omnia, quae circa sunt; neque sopor, nec deliria.

Tertium stadium congestionis est et consecutivum. Qui stadio morbi superato in hoc incidunt, impetu sanguinis ad cerebrum vexantur. Facies ex rubro fusca, sopor lethargicus, deliria, mortis apoplecticæ nuncia, hoc stadium denotant, quod exitiosum fuit in Europa atque typhosum dicebatur; in oriente ignotum.

Sed tanta aliquando etiam in borealibus terris vis morbi fuit, ut correpti post horam unam alteramve exstinguerentur, adeoque haec stadia diversa discerni non potuerint; ad gradus itaque morbum referre melius visum, vel insultum a prodromis et consecutivis discernere, quod utique eodem redit; nam aliquando sine prodromis morbus supervenit et sub insultu occidit, instar intermittentis comitatae.

Interea neque stadia nec signa sibi ubique constare notum est. Singulae epidemiae suam indolem habent; regionum et locorum diversitas endemicas rationes continet; ut correptus, ita morbus individualis sit necesse est; quae singula vim habent, ad imaginem mali aliter atque aliter fingendam, salva ejus natura. Sic alii vomuerunt tantum, alii diarrhoeam solum passi sunt; quibusdam utraque evacuatio defuit; ipsi motus convulsivi et artuum spasmi a quibusdam abfuerunt; quae singula ut mala omina habita sunt; nam ejusmodi aegroti intra breve

tempus absumti sunt, vi nervorum ante exhausta, quam ad perfectam insultus explicationem ventum fuerit. Quaedam tamen quasi a natura mali inseparabilia symptomata perpetua fuerunt; repentina oris commutatio; cutis mollis, massae instar vi contractionis privata; caloris animalis et pulsus fuga, qui pari passu ambulant, nam illo extincto, hic suspenditur; sanguis nigrescit et grumosús fit, ut vena incisa vix fluat, sed picis liquidae instar inspissatus e vulnere exprimatur. Æger vero licet calore et pulsu privatus sub ipso impetu sui plane conscius est.

Vim morbi non in una eademque systematis nervosi regione manere, sed transferri et loca mutare, ex signis et decursu perspicitur. Primum in epigastrio focum habet, quod ardor hujus loci, angor et metus docent. Exinde vero, exhausta systematis gangliosi vitalitate, medullam spinalem petit, dolorem in regione lumbari et vehementes atque abnormes artuum motus et constrictiones excitat. In stadio congestionis cerebrum invadit, singulis aeque infesta.

Natura morbi ex corporum mortuorum investigationibus hactenus explicari non potuit; quaenam non sit, potius docuerunt; plus signa in vivis valuere. Alia atque

alia visa et reperta sit necesse fuit, non solum pro diverso stadio, in quo aegroti occubuerunt, sed etiam pro diverso morbi charactere, erethico torpido, vel paralytico, modificatione gastrica vel nervosa, pro diversa systematis nervosi regione, quam morbus occupaverat. In singula vero abire non hujus loci esse credimus; observasse itaque sufficiat, plexum solarem vestigia inflammationis neuroparalyticae exhibuisse; medullam spinalem sero et sanguine circumdatam fuisse, vel in gelatinosam substantiam mutatam; quae vero singula in hujus medullae extremitatibus, præcipue inferiori, comparuerunt, parte media minus laesa vel mutata. Cerebrum magis minusve sanguine fuit oppletum, prout mors in uno alterove stadio ægrotum oppresserat, adeoque sub insultu minus, maxime vero sub stadio congestionis; membranæ quoque congestionis signa habuerunt; praeterea nihil læsi. Hinc medullam spinalem sub ipso insultu vehementius quam cerebrum correptam esse patet; quod etiam spasmorum vehementia in extremitatibus ex una parte atque integra ægroti conscientia ab altera probant. Quæ in ventriculi et intestinorum membranis obvenerunt maculæ pallide rubræ, non veræ inflammationis sed erethicæ irritationis sequelæ fuerunt.

Ex decursu morbi processus pathologicus ex sub-

lato inter cutem et intestina atque organa respirationis commercio explicari posse videtur, quorum viribus exhaustis vis morbi medullam spinalem adgreditur. In stadio prodromorum hoc commercium quodammodo adhuc persistit, unde correpti mox adhibita medicina facilius sanantur, excitata cutis vitalitate, qua sudores vaporosi provocantur, qui morbum solvunt. In stadio vero eruptionis sæpe tollitur omnis antagonistica reactio, cute et intestinis torpidis vel paralyticis factis. In stadio congestionis incitatio ad cerebrum tendit, facta ad caput congestione, qua opprimitur, nisi derivantibus, vel a natura vel ab arte administratis, liberari queat. Sed rem absconditam quisque pro sua opinione explicat.

Nec minus ambiguum est quodnam systema primario adgressum sit, sanguineum ant nervosum; aequis fere in hanc rem argumentis disputatnr. Apparet certe choleram asiaticam in sanguine versari, symptomatibus nervosis comitatam, tubo intestinali secundario adfecto; haud tamen ita liquet, quid primum in morbo sit, dyscrasia sanguinis vel affectiones nervosae. Ut symptomata nervosa, collapsus corporis et spasmodici motus, qui in cholera comparent, ubi nulla sanguinis jactura facta est, sed vis ejus vitalis infirmata vel paralytica, ita magni quoque sanguinis fluxus hæc eadem symptoma-

ta provocant et systema nervosum in sphæram morbi secundario invitatum esse probant. Lente putrescunt corpora, ut fieri solet post immodicas sanguinis jacturas; contra vero tubus intestinalis cito in putredinem vergit ut in magnis sanguinis congestionibus. Singula autem pro hac opinione argumenta infirmari videntur experimentis, in brutis institutis, quibus exploratum est, energiam sanguinis deleri et differentiam inter venosum et arteriosum evanescere, nervo vago utrinque resecto. Nervosæ originis documenta sunt calor et dolor epigastrii a plexu solari provenientes, inter prima infectionis signa manifesti. Præceps præterea morbi impetus et decursus systema nervosum primario esse correptum, et ipsius vim in sanguinem et vitam plasticam penitus esse sublatam, testari videntur. Sed in morbo acutissimo eodem fere momento sanguificatio et nervorum functio pervertitur.

De origine et propagatione Choleræ summa contentio fuit; a veneno specifico excitari omnes consentiunt; de natura veneni magnopere inter se dissentiunt, et in partes abeunt. Alia pars originarium esse et animale contagium, variolarum instar in ægroto corpore fotum et reproductum atque immediato hominum commercio communicari et propagari existimat; altera vero tellu-